

re, maiorem calefaciendi vim habet? Contra isto est absurdum.
An igitur major? non sanè, quam experientia quotidiana comprobat abunde. E. minor, quæ supponit solem esse igneum.

§. 7. Motum harum macularum quod concernit, advertendum, illos moveri quidem, sed non per se & motu proprio, sed per accidens, ad motum videlicet Solis, quocum unam moventur. Sunt nempè partes Solis, cum verò partes moveantur ad motum totius homogenei, in confessu quoque est, maculas illas simul ad motum Solis moveri. Imò si motu proprio moverentur, & quod *Schottus* vult, extra Solis corpus pervenire possent; sequeretur, aliquando illas maculas à Solaribus radiis illuminari. Habebimus hoc modo nova Phænomena, ad nimium cælestes Irides, variis coloribus coruscantes. Imò illæ maculæ crescent extra Solem constitutæ aliquando lumine, si materię, sint tenacis, aut compactæ, quod ait *Hevelius*, aliquando decrescent, non secus ac in Lunam observamus. Manet igitur, (cum hæc experientiæ reclament,) illas moveri tatum motu Solis. Affingit quidem illis sèpius jā laudatus triplicem motum. Primus est (ut ipse vult) motus generationis & corruptionis, secundus rarefactionis & condensationis, tertius est localis; quem iterum statuit triplicem: Primus peragitur motu Solis diurno. Secundus, fit, per motum ascensionis & descensionis quotidiane. Tertius, inquit, est proprius & naturalis macularum, qui semper incipit in parte orientali & in occidentali desinit. quem intra 12, 13. aut ad summum 14. dies perficiunt, prout maiorem & minorem obtinent latitudinem. Sed graviter in his hallucinatur ut entitatem, non esse generationem & corruptionem rarefactionem & condensationem veros motus localis species; supra ostensum est, non dari easd. in corporibus cœlestibus. Deinde in illo quoque errat, quod propriū & naturale motū maculis attribuit, illūq; distinctū à motu corporis solaris numerat. Contra quē ita argumentamur: *Quicquid peculiarem à Sole (circa Solem n. supponitur fieri)* motum habet, id aliquando extra discum Solis appareat necesse est.